



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De poena Frederici militis de Kelle, cap. 14.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

Cyber? Cùm animæ in eos mittantur, estne ibi purgatoriu siue infernus? CÆSARIVS: Os dicunt esse inferni, quia nullus electorum, sed reprobi tantum in eos mittuntur, sicut legitur in dialogo de Theoderico rege Gothorum. Infernus putatur esse in corde terræ, ne mali lumen cæli videant. Referam tibi nunc aliqua exempla de pœnis prædonum.

Greg
li. 4. dial.
8. 30.

CAPVT XIV.

Cuis quidam Andernacensis, Erkinbertus nomine, pater Ioannis monachi nostri, cùm die quadam ante lucem iret ad quoddam placitum, quidam ei occurrit in dextrario nigerrimo, de cuius naribus fumus & flamma procedebat; nunc viã tritam tenebat, nunc exorbitans in campum discurrebat. Hæc videns Erkinbertus, primùm valde territus est, & quia declinare non poterat, se ipsum confortans, cruce se signauit contra diabolum, dexteram armans gladio contra hominem: ignorabat enim quid esset. Cui cùm propinquasset, cognouit eum quendam fuisse militem nominatum, nuper defunctum Fredericum nomine, de villa Kelle oriundum. Videbatur enim circumamictus pellibus ouinis, molem terræ gestans in humeris. Ad quem Erkinbertus: Estis vos dominus Fredericus? Respondente illo: Ego sum, subiecit: Vnde venitis, quidue significant ista que video? Ego, inquit, in maximis pœnis sum, pelles istas cuidam viduæ tuli, quas nunc ardentes sentio: similiter partem cuiusdam agri mihi iniuste vendicaui, cuius pondere modò premor: si filij mei ista restituerint, multum pœnam meam alleuiabunt. Sicque ab oculis eius euauit: quod cùm recitasset die altera verba patris filijs, maluerunt illum æternaliter in pœnis manere, quã dimissa restituere. APOLLONIVS: Similia te recordor dixisse in distinct. 2. cap. 7. de Helia de Ryningen. CÆSARIVS: Ecce aliud exemplum.

De prædo
num sup
plicijs.